Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 19. Februarii.

M. ABRAHAM THEVART, Doctore Medico, Præside.

An recens nati nutricum mammis carere possunt?

IN educandis alendisque recens natis, Medicum esse oportet diligentiorem, in hoc lucis rudimento positum est totius ætatis fundamentum, ipsaque infantiæ delicta senectutis pœnis lui non infrequens. Næ recens editis apprimè apta illa erit vivendi norma, si & communi naturæ voto respondeat & talem instituat victum, qui vitæ principiis congener, coctu perfacilis sit, alendoque corpori eâ consuetudine junctus, ut inde pleniore factâ spirituum accessione, pulchrior enitescat habitus: hac statutâ lege, nec alimento quovis fœtum ali perinde est, nec lactis genus ullum parem vim habere potest in singulis ad nutriendum, quin imo infantiæ salus altricum mammis ita continetur, ut nec ipsarum rore citra jacturam carere nec in hujus vicem ullum aliud suffici tutò queat.

CONSENTANEAM recens editis victus legem æstimaturus, naturæ legibus attendat, ab his discedere nefas, juxta convenientem cujusque necessitatem constitutis, ut in adultis sensuum est de cibis eligendis judicium facere, tametsi ciborum proprietates penè infinitas, ratio non assequatur, sic in hac victûs inquisitione, standum naturæ voto: votum hoc nullibi magis quam in primâ ætate conspicuum, hæc & omni animi inductione & perturbationibus vacua, ita regitur instinctu, ut infantulus simul atque susceptus in lucem mammis inhiet: Huic communi non hominum solum sed animantium legi accedit tenelli corporis ratio, quæ sibi consimilem victum efflagitat, alimentum cuique temperiei suum est, suum & robori & ætati, maximè quæ vitæ ponit initia, hæc & ventriculi & malarum robore, dentibusque destituta alimento eget, coctu facili, attrito, comminuto, affini præsertim ei quo in uteri latibulis fœtus victitabat, alioquin offuturo quasi violatæ consuetudinis, & perturbationis reo.

FOETU in lucem emisso, niveum è mammis fluit lac, ceu chylus elaboratior: mammæ glandulis constant agglomeratis, minutis, magnitudine diversis, ceu sacculis quibusdam ovi figuram æmulantibus, inter retiformes nervorum, lactis & lymphæ ductuum nexus mirabiliter constitutis; hæ vasorum oscula admittunt, emittunt vero tubulos propria excernendi lactis vasa: in his mammarum angustiis lactescunt succi bonâ naturæ veniâ, jugisque fit lactis secretio: tubulis illis papilla constat velut in fasciculum tandem collectis, quorum locellis veluti penu quodam ac promptuario lac asservatur per papillam mox effundendum, ut hac partium suppellectile, quantum sit in lactatu necessitatis & præsidii palam fit. Revera in uno lactatu certi aliquid auxilii esse potest, ubi nihil eorum adest quæ ad coctionis integritatem conspirant, spiritus mucorum copiâ irretiti vix micant, laxior ventriculus vix fertur ad pabuli amplexus, latex acidulus spirituum temperatione coctionis author segnis adhuc & iners, languet & qui ipsa digestionis auxilia concitat sopitus humoris ubertate calor, ut nisi, non tam cibus quam chylus jam alibi prope confectus oggeratur, infantulis vix inde nutrimenti quidquam accedat: hoc ipsum lac est quod à chylo tam propè abest, ut si contuleris, aut utrumque putabis esse chylum aut utrumque putabis esse lac.

NON colore solum & substantiæ modo chylus & lac sibi invicem respondent, sed & mutua facilique unius in alterum conversione, ex chylo ad mammarum ubera affluente lac citissimè gignitur, nec minus expeditè tenellis infantium ventriculis ex lacte chylus producitur: quin & in ipsis uteri latebris lacteo quodam liquore ceu chyli specie fœtum ali non alienum est, ut idem succus sit in uberibus à partu, qui ante fuit in utero, atque adeo ex lactatu id potissimum emergat commodi ut omne subitæ mutationis delicatulis infantium naturis semper exitiosæ discrimen avertatur. Infantes ferarum lacte nutritos memoriæ proditum est, hodieque impura veneris lue infectis lac è caprarum uberibus sugendum exhibetur, quæ subsidiaria & insitiva lactandi ratio licet caloris & spirituum temperie nutricum mammis proxima, degener tamen, & incerta vix aliquot ad dentium principia perduxit, incertam facit pabuli ratio diversa, & diversus arcanus ille substantiæ modus nutritionis fundamentum, utque nullius nutricis lac infanti nutriendo tam bellè convenit quam convenit lac maternum, sed tantum discrepat quantum discrepant naturâ atque temperie mater & nutrix, sic & lac ab animantibus petitum infantium naturæ minus est accommodatum. Sunt qui lac animantium è vase aliquo sugendum propinant, sed neque caloris illa temperies vitæ principiis par retinebitur, &, si retineatur, fieri vix potest quin laxato mixtionis vinculo de nativa partium quibus lac continetur proportione aliquid decedat, partesque à se invicem si non prorsus saltem aliquatenus discedant coctioni moras allaturæ.

HOC errore tenentur multi ut arbitrentur frumenti decocto & pulticulæ aut panatellæ usu recens editos ali posse, idque apud quasdam non ita remotas gentes passim usui esse: his & similibus fidem experientia detraxit, quæ partium lentore atque crassitie à chyli natura ita deficiunt ut in languentis naturæ gratiam venire nusquam possint: decoctum frumenti duriùs est, nec ea partium mollitie pollet, aut succi pinguioris ubertate, quæ ventriculo suavis, spiritus & calorem erigat, ut inde crudior chylus acorem facile trahat alvi profluvium pariturus & in ipso sanguine febrilem æstum: haud melior pulticulæ usus, hujus ea viscididas ut vix halituoso pueruli calore incidi queat, sed primis hærens viis obstruit venulas, impeditque tubos, geminatisque in dies obstructionibus usque adeo alimenti præpeditur ἀνάδοσις, ut vix illi supersit ullus ad partes alendas commeatus. Lactis è mammis ore ducti alia ratio quod in ventriculo nutricis concoctum ulteriorem in mammis perfectionem adeptum, vix ullâ alia alteratione indiget: ut supersit adhibendas esse nutrices quæ nutricationis munus proprio lacte compleant quod spiritu vitali turgidum, vitæ principiis æquabile, cibus & suavissimus est & idem facillimus ad coquendum, ut qui aliter contra egerint, à natura defecisse videantur, cui repugnare, gigantum more cum diis pugnare est.

Non ergo recens nati nutricum mammis carere possunt.



Asserebat Parisiis JOANNES DU MESNIL, Andegavensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1682.